Quæstiones Philosophicæ
comitijs habitæ Cantabrigien-
sibus. Julij. 1°
1639.

Absurdum est dari Orbem habitabilem in Luna.

SUppetias, Lucina, tuas mendicat & artem
Prægnans Luna; Deæ blandior affer opem.
Sola laboranti potis es succurrere Lunæ:
Non vitulum, Mundum parturit illa novum.
Non placet unius Regina vocarier orbis,
Illo ni fixus Mundus in orbe siet:
Ille nec exiguus, fidei sed lumine major.
Sic sic more suo crescere Luna solet.
Indiget Orbis aquis; aliter tua, Cynthia, forma
Spes est ut maculis sit bene lota suis.
Cedo tamen montes delusus imagine falsâ,
Quà fasces credo ferre rubósve Senem.
Qualibus interea est Terra hæc habitata colonis?
Ursis, & Tauris, Pisce, Dracone, Capris:
Et cauponarum propiora emblemata cernas;
Qualia sunt Virgo, Scorpio, Libra, Leo.
Ebria gens certó: vertigine Luna laborat;
Et gaudet signo quisque Planeta suo.
Carmina de cælo possunt deducere Lunam:
Hinc metus est, Mundus nè novus iste cadat.
Indè Plato exturbat Vates, regnóque Poetis
Hac interdicit sub ratione suo.

Terris terrena, & cœlis cœlestia pone:
Qui cælum terris miscet, utrumque negat.

Substantia creata non est immediatè operativa.

QUàm prudens Natura parens, quàm provida mater,
Hinc primo intuitu videamus.
Non omnes vni largitur prodiga dotes,
Atque aliis est dura noverca:
Appositè rebus, trutinâ variante, creatis
Distribuit sua dona. Vicissim
Singula sollicitant hinc indè juvamina. Non fert
Omnia vel ditissima tellus;
Suppetias aliunde petit. Dant thura Sabæi;
His Siculi frumenta rependunt.
Has certas leges, æternáque fœdera rebus
Imposuit Natura creatis.
Nil sibi sufficiens: cujusvis indiga virtus
Alterius suffragia poscit.

ERGO

Effigiem abjecto graphio depingat Apelles,
Dux peragat sine milite bellum,
Mutus agat causas; & aget Substantia nuda,
Quam non virtus ornat inhærens.

Resp.
Mr Natlie Reginalis.

Oppon.
Mr Beaumont Coll: Peirl.
Mr Huddlestone Magdalena.

Mr Croydon Trinit. Prævaricante.